



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Matthæo Bandello. LVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



186 IULII CÆSAR. SCAL.  
iussu Cruceii, quæ nihil aliud quam protre-  
tum illud profiterentur, quo potius temeri-  
tatis culpam deprecarer, quum sperarem  
gratiam non ex tua pietate, qua miserrimum  
quenque tanquam teipsum respicis,  
sed ex mea ipsius commendatione. Vale.

MATTHÆO BANDELLO.

LVI.

**G**R A V I teste, ac potius auctore gloriæ,  
splendoris atque felicitatis suæ priuata  
est nobilissima patria nostra NS Hierony-  
mo Fracastorio, viro cum in omni discipli-  
narum genere, singulari, tum in poeticis pe-  
ne incomparabili. Quo in marore ac luctu  
cum versata esset diu ciuitas nostra, multis  
titulis, plurimis elogiis & publice & priua-  
tim testata est, quantum in vnius diuini ca-  
pitis iactura decessisset de vniuersæ reipub.  
dignitate. Nam tametsi in studiis atque  
successibus rei militaris ita se comparauit, vt  
nulli esset secunda Italicarum Urbium: eas  
tamen artes semper coluit, quæ & ad bene-  
beateq. viuendum conducerent & quam-  
proxime accederent ipsæ ad beatitudinem.  
Quocirca fuit omnino Fracastorius tanta in  
admiratione ciuium, vt ipsi principes rei  
litera-



literariæ sibi eum facile anteferrent viuum, & eo mortuo quasi se inanes putarent sine illo, non solum ipsum inter suos conuentus, sed etiam seipsum in illius quærent desiderio. Atque ita tum præsentibus summis apparatus iusta persoluerunt parenti omnium bonarum artium. Id quod cum per literas illi tibi, tu mihi significasses, misissesque multa epigrammata in eius commendationem facta, addidisti, iam venisse tempus, in quo illucescere deberet & mea erga magnum heroem obseruantia, & amor patriæ, & cultus bonarum literarum, quarum ille fuisset & alumnus & auctor: neque potius absentia nostra deleteret memoriam illius meritorum, quam recordatio absentiam dissimularet. Igitur etsi erat graue iam homini septuagenario, spinosis Philosophiæ obfesso difficultatibus; vicit tamen pietas & studium obsequendi tibi, tum propter veterem patrum nostrorum necessitudinem, tum ob nostram familiariss. Quare aggressus sum nescio quid de illius magnitudine scribere. Quod quoniam in libellum ut excresceret, fecit amor meus, & cupido satisfaciendi tibi: ne tædium pro gratia pareret, & numeros mutavi sæpe, & stylum ita, ut multorum non vnius opus esse videri possit.

Quædam



Quædam enim sunt molliora atque facilio-  
ra quam meum fert ingenium, alia suauif-  
cula: in quibusdam linguæ puritas sola, in  
aliis natiuus nitor. fortasse inuenias quæ sese  
attollant eximantque ex humili dicendi  
genere. Melos autem Græcum & scio ad  
Pindarum non accedere, & nolo illam sub-  
sultantem ac violentam asperitatem. Expe-  
riri denique decretum fuit, an possint repeti  
vetera studia, ac tanquam redintegrata iu-  
uescere. Id quod simul etsi sperabam &  
desperabam, malui tamen officiose mei-  
psum fallere, quam & tuam voluntatem &  
merita Fracastorii frustrari. Munusculum  
igitur hoc & tibi mitto, & per te illius ma-  
nibus, atque patriæ maiestati consecro.

*Præcellenti doctiss. viro Domino*

IVLIO CÆSARIS CALIGERO

S V O B A N D E L L V S

S. LVII.

*Agennum.*

S V M M A me voluptate affecerunt literæ  
tuæ, imo me beatunt cum pulcherrimis  
tuis carminibus, quum præsertim scribas  
cætera me propediem habiturum. Venit  
Ianus ex Prouincia, sui que comitatus par-  
tem secum duxit. Sed ubi matrem pristi-  
nam